

PLONA.



PLONA, Opidum est Holsatiae, quod nunc paret Duci Holsatiae ac Slesvici Joanni Iuniori, ad fines Vvagræ ac Holsatiae situm, loco aliquanto editiore, sylvis amœnis, & auium modulamine canoris, multisque prædijs, pagis & arcibus, itidemque lacubus ac stagnis irriguis, ac piscosis circumdatum, inter quæ duo sunt maiora ac capaciora reliquis, alterum Austro obiectum maius; alterum Septentrioni minus, Lubecâ, Segebërgâ, & Chilonio, quatuor miliaribus distat. Quo autem tempore, & à quo conditum sit, ex historijs non constat, illud ex analibus certum, Templum Parochiale, circa A. C. 1115. tempore D. Vicedini Episcopi, in honorem S. Nicolai conditum esse: Huic contiguum fuit Virginum monialium, professionis D. Augustini, cœnobium, quod ex relatu' quorundam 112. annis floruisse putatur. Nunc autem dirutum, & alia ædificia Ciuium eo loco constructa sunt. Caterum, quanto religionis pietatisque studio incolæ hic olim flagrarint, argumento sunt oratoria, siue sacella quatuor, extra portam, quâ Lubecam versus iter est, constructa, nunc autem temporis vetustate collapsa, ex quibus vnum S. Cruci, alterum S. Saluatori, tertium S. Caluarie dicatum fuit, quartum vero, situm ad pontem Holsaticum, prope claustrum, cui diuorum nuncupatum fuerit, ignoratur; atque ad sacrorum celebrationem sedecim quondam Presbyteros, stipendio satis amplo ciues, aluerunt. Opido arx colli superimposita imminet, situ ac natura loci ut peramœna, ita, pro præsci temporis conditione, satis munita, Regum quondam Vvagrorum, qui Vandali fuerunt, sedes, ac nefaria Buthonis principis Vvagrorum cede, ab historiographis celebrata. Cum enim Crito tyrannus, post occupatum, per vim, Oboritorum ducatu, qui nunc est Magapolensis, & Vvagræ tractum, Buthonem Vvagræ legitimum dominum, intra Plonam conclusum, obsidione cinxisset, nec iam liberationis vlla spes superesset, quod auxiliares Holsatorum copiae auersæ essent, fraude exploratoris cuiusdam, arcem ab hoste corrupti, qui Buthonem iam obsidione liberatum ijs nunciauerat: Butho, fame compulsus, hosti se tradidit, corporis tamen sui, ac sexcentorum militum, qui Bardouico ipsi in subsidium missi erant, incolumitatem ab eo prius, per arma deposita, pactus. Hunc porta Lubecensium egressum, ad sanum S. Saluatoris Crito contra datam fidem, & ius gentium, immani quadam rabie concitus, cum vniuerso comitatu suo, miserandum in modum concidit, causam necis prætextans, quod in arce stuprum, non nullis virginibus, ex nobili Vandalorum familia oriundis, illatum esset. Stagnum maius, quod opidum & arcem; quâ parte Austrum spectat, alluit, duo miliaria in longitudine, vnum, in latitudine habet, diuersis piscium generibus abundat, inter quæ magnitudine & copia anguilla excellunt, & receptaculis quinque, quæ vernacula sua incolæ *Wassstern* nuncupant, capiuntur, quorum vnum ad Ranzouianam familiam spectat. Huic autem stagno, quædam arces, & Nobiliû prædia adiacent, (ex quibus sunt Alcheberga, Arx Nicolai de Vvisch, Prædium Nempten Blomij subiectum, Pehmen, ijsdem cedens.) Nec procul inde distat arx RANZOVV, HENRICI RANZOVII, Pro- ducis Cimbrici dominio subiecta; eiusque impensis, de integro, præsci ædificijs dirutis, splendide ac sumptuose ædificata, pomarijsque & hortis amœnissimis Italico more ac cultu constructis, eleganter ornata. Ad stagnum minus, quod Plonæ opido Septentrionale est, duo sita sunt prædia, quæ ad Alefeldios pertinent, Tram & Vvitmold. Ex his autem stagnis originem ducit fluuius Suentina, qui prope Chilonium in mare Balthicum illabitur.

Iraati Vulcani furore Plona frequenter læsa fuit, primum Anno salutis 1436. tota in cineres redacta, Deinde Anno Christi 1534. à Lubecensium exercitu, post lytri solutione incensa, æde sacra, Monasterio, ac domo pastoris excepta, planè exusta est. Rursum, Anno 1552 ipso die B. Magdalene ictu fulminis accensa, circa forum conflagrauit, Denique Anno sequenti 1578 Dominica, Exaudi, altera sui parte, vsque ad pontem, versus portam Lubecensem conflagrauit.

Ciuium opes mediocres sunt, quæ maximâ ex parte piscationibus parantur, quippe, qui agris, pratis, alijsque pascuarijs pabulis, ob loci irrigui humiditatem, non admodum abundant.

Extant quædam in hanc urbem ac Arcem epigrammata hæc silentio non inuoluenda.

Vandalia Regum sedes præclara potentum

Arx quondam præsci tempore PLONA fuit.

Holsatiae ac Vvagræ Comites habitasse feruntur

Hanc etiam, quorum stirps modo nata manet.

Hanc prope Vandalia Princeps Burho concidit ense

Critonis, patriâ qui Rûgianus erat.

Suecorum Regis legato hac arce sororem

Tradidit Henricus ferreus ipse Comes.

Nunc Dux Holsatiae Ioannes vendicat arcem

Hanc sibi, munita est, quæ ratione loci.

Aliud.

Vrticæ gaudent folio, præruptaque claris

In clypeis molli turris obitur aqua.

Sæpius hæc sensit rutilis incendia flammis,

Bellaque non æquo Marte nefanda tulit.

Regia quam quondam tenuerunt sceptrâ Ioannis,

Imperio nunc est subdita PLONA Ducis.

Sequentem Elegiam, quod rem memoratu dignam quæ in arce RANZOVIANA, non procul ab hoc opido sita, accidit, exponeret, hæc subijcere volumus, cum alijs nonnullis versibus, qui in arce ipsa lapidibus incisi leguntur.

Est regio, Holsatis Ducibus quæ subdita paret,

Vvagræ consueto nomine dicta suo.

Arx fuit hic olim Neoslaga nomine dicta,

Sed præsens ætas non meminisse potest.

Hæc triplici vallo, triplici circumdata fossa,

Stagnum pisce scatens nec procul inde fuit.

Ranzouius possessor erat, sed tristia tandem

Nobilis hic dicta passus in arce fuit.

Duriter à Slauis obsessus, quicquid habebat

Deseruit, vitæ consuluit que suæ,

Nam desperatâ re, per stagnumque vadumque;

Ipse natans, arcem liquit, opesque simul.

Cætera turba suo miserè se dedidit hosti,

Cuncta autem cuius diripuere manus,

Cumque iuberentur veteres migrare Coloni,

Inueniebatur spretus in arce puer,

Qui seruire coquo consueuerat, is præce multâ

Obtinuit, quoniam corpore partus erat,

Vt secum auferret, quantum portare valebat.

Mox humeris puerum sustulit ipse suis,

Nempe sui Domini natum, quem pectore fido

Dilexit, pueri captus amore puer.

Communis fuit his lusus, commune periculum,

Communis tandem venit vtrique Salus.

Ranzouius etiam post annos reddita multis

Sunt bona, quæ Slauo diripuere truces,

Impensisque nouis arx est constructa nepotum;

Sed fuit hæc alio constituenda loco.

HENRICVS Ranzov produx modò possidet illam

Quæ nunc Ranzouio nomine nomen habet.